



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 41. Investitura Insularum a Columbo detectarum Arragonum Regi a Pontifice concessa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

§. XLI.

Sæcul. XV.
A.C. 1492.*Investitura Insularum a Columbo detectarum Arragonum Regi a Pontifice concessa.*

Cum Alexander Papa ob Religionis incrementa, quæ Ecclesiæ occupato Granatæ regno accesserant, gratum exhibere animum perciperet, hinc Ferdinando Arragonum Regi investituram concessit omnium terrarum, quas Christophorus Columbus occidentem versus detexit, ac deinceps detecturus esset, ea tamen lege, ut in illas regiones, quas Lusitaniæ Rex invenisset, nullum jus sibi arrogaret. Ferdinandus hoc Pontificis favore animatus, Columbum altera classe in altum procurrere jubet. Hic vigesima quinta Septembris die porrectis in occasum proris post diurnam navigationem ad terras, quas *accipitrum* Insulas vocant, appulsus est, inde vero Guadalupam perveniens, cursum direxit ad Insulam, quam Hispaniolam appellant nuper a se detectam; ubi accepit nuntium, præsidiarios, quos ibi reliquerat, fati functos, urbemque a se constructam incendio fuisse consumptam: hinc paulo altius navibus suis progressus, peropportunum detexit locum, ubi propugnaculum extrui jussit, quod a nomine Reginas

Sæcul. XV. ginæ Castellanæ arcem Isabellæ nuncu-
 A.C. 1492. pabat. Tandem detectis Libaonensibus
 aurifodinis vela dedit ad Cubam insulam,
 quam primo obtutu continentem esse cen-
 sebat, ambitus illius magnitudine dece-
 ptus.

Marmol. l. 9.

z. 29.

Marian. hist.

Hisp. l. 26.

c. 3.

Ferd. Colum.

hist. del ami-

rant. Christ.

Col.

Inde vero obliquatis velis Jamaicam
 provectus est, ubi cum Indis, qui eum a
 portu arcere nitebantur, prælii discrimen
 subire compellebatur: his tamen
 devictis Hispaniolam reversus, meridiona-
 nam ejusdem partem retexit, quamvis
 plures Cacici Columbum, ne ibidem se-
 dem figeret, prohibere molirentur; at
 cum Guacanegris, quem Columbus pri-
 mo jam itinere sibi devinxerat, non mo-
 do horum foederi adversus eum conflato
 accedere renuisset, sed ipse etiam copias
 suas Columbo junxisset, Hispanorum ani-
 mi in spem erecti sunt, & quamvis totus
 Guacanegritanus belli apparatus ducentis
 duntaxat peditibus, equitibusque duo-
 decim, & nonnullis canibus constaret,
 nihilominus Columbus conferto prælio
 Indos, quorum erant ducenta millia &
 amplius, profligabat. Ea victoria tan-
 tam nominis famam sibi conciliavit, ut
 Cacicorum nullus Victori ultra obistere
 auderet. Ergo Isabellæ arcem nemine
 obluctante perfecit, ac constructis tribus
 aliis propugnaculis, vela fecit, in Hispa-
 niam reversurus, ubi nonnisi anno sequen-
 ti appulsus est.

S. XLII